

DISSE^{185.}
NTATIO IVRIDICA

D E

A5
1767

15th

CVRATORE MVPLIERIS

VTRVM IN CAVSA EIVS CVI DATVS EST

TESTIMONIVM DICERE POSSIT?

P R A E S I D E

MARTINO GOTTLIEB PAVLI D

DIGEST. VETER. PROF. PVBL. ORD. CVR. PROVINC

CONSIST. ECCLES. SCABIN. ET FAC. IVRID. ASSESS

DIE MENS. MAII A. R. S. CICIO CCLXVII

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A B

IOANNE GVILIELMO BLOCHMANN

L. L. C. LAVE. LVSAT

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACADEMIAE A TYPIS

DISSESTITATIO IARVIDEA

DE

CATARRE MATERIS

ATRUM IN CASU EIUS CAI DUTAE EST

TESTIMONIA DICERE POSSIT

MARTINO GOTTLIER PART D

IGEST VATER PRO PART ORI CAR TROIANIC

CONSIST ECCLES SCABIN ET IAC IARV. ASSER

EIE MENS MALL V R E CIDSICCLXII

X AD DISCEPTEANDAM PROPOSITA

B


JOANNE GAIETELMO RLOCHEMANN

LEO C LAYE LASAT

ALTE MAMAS


FESTAIS CAROLIS CHRISTIANI DURRI

1580



Q. D. B. V.

CVRATOR MVLIERIS VTRVM IN
CAVSA EIVS CVI DATVS EST TESTI-
MONIVM DICERE POSSIT?



§. II. I.

Feminas apud veteres Romanos non impuberes tantum
ob aetatis infirmitatem, sed puberes quoque tum
propter sexus imbecillitatem, tum propter rerum fo-
rensum ignorantiam, olim in tutela vixisse perpetua, testis est,
Praeter Ciceronem ^a) et Liuium, ^b) -Ulpianus Ictus. ^c) Duplex ita-

A 2

que

^a) pro Muren. Cap. XII.

^b) Libr. XXXIV. Cap. III.

^c) Fragment. Tit. XI. §. I.

que seminarum olim fuit tutela, pupillaris vna, quam finiebat pubertas, altera vero, quae ne maiorenitate quidem exspirabat, perpetua, hasque duas inter muliebris tutelae species discrimina intercessisse nonnulla, atque pupillarum tutores et negotia gessisse, et auctoritatem interposuisse, adultarum negotiis vero auctoritatem duntaxat accommodasse tutores, ipsa autem earum negotia non gessisse, idem ille Domitius indicauit Vlpianus,⁴⁾ plenius autem copiosiusque Euerardus Otto probauit.⁵⁾ Sed, quoniam tamen non, nisi, quae sui iuris erant, feminae in perpetua viuebant tutela, hinc ea finiebatur tum per in manum conventionem, tum ob capitis diminutionem quamcunque. Praeterea ingenua mulier, ter enixa, vel ius trium, libertina vero quatuor liberorum consequita, per legem Papiana Popaea ab perpetua hac prorsus liberabatur tutela, atque, vi huic privilegii, absque tutoris auctoritate et testari poterat, et res suas reliquas libere administrare. Accedebat deinceps M. Aurelii Antonini edictum, quo omnes adultos curatores accipere iussit, non redditis causis, quare ex hoc iam iam tempore in dies magis magisque tutelam seminarum perpetuam nusasse existimat Euerardus Otto,⁶⁾ usque dum successu tempo-

⁴⁾ loc. cit. §. 25. et 27.

⁵⁾ de Perpetua Seminarum Tutela Cap. I. §. 9. sqq. sqq.

⁶⁾ loc. cit. Cap. I. §. 24.

ris prorsus transferit in desuetudinem, adeo, ut in Iure nostro Iustinianeo non, nisi obscura illius supersint vestigia, ab Triboniano plerumque in sensum prorsus alium distorta, ab Iacobo Cuiacio autem collecta et explicata.^{g)}

§. II.

Sed non tantum apud Romanos olim, verum apud alias quoque gentes plerasque, praesertim Germanos, et originis quae sunt Germanicae, ab antiquissimis inde temporibus feminae in perpetua viuebant tutela. Nihil quidem, veteres Germanos quod attiner, de ea tutela habet Tacitus de Moribus Germanorum, fortassis, quod idem Quiritibus placuisse sciret, nihilo tamen secius maiores olim nostros constanti eam perpetuoque vsu frequentasse, Euerardus Otto,^{h)} Ioannes Fredericus Polac,ⁱ⁾ Ioannes Gottlieb Heineccius,^{k)} alii, iuculenter probarunt. Praeterea Iura quoque mediæ aëni patriæ, Speculum scilicet Saxonicum^{l)} et Alemannicum^{m)} perpetuam hanc feminarum tutelam satis superque euincunt, siquidem hæ col-

A 3 lectio-

^{g)} Obseruat. Libr. VII. Cap. 11. Libr. XXII. Cap. 20.

^{h)} loc. cit. Cap. II.

ⁱ⁾ System. Iurisprd. Civil. Germ. antiqu. Libr. I. Cap. XIV. §. 3.

^{j)} Element. Iur. German. Tom. I. Libr. I. Tit. XV. §. CCCLVII. sqq.

^{l)} Ius Prouine. Libr. I. Art. XXIII. et XXXXV. et alibi passim.

^{m)} Ius Provincial. Art. CCLXIV. CCCVII. Edition Meichsnerian.

Iectiones morum patriorum nos docent, vxores tunc temporis, in tutela vixisse maritorum suorum, his autem mortuis, si nulli extarent liberi, agnatum earum, quodsi vero liberi exstarent, non viduae, sed proximum liberorum agnatum et horum et illius simul suscepisse tutelam. Sed Ius Romano-Iustinianeum, quod, prouti antea dictum, hanc perpetuam ignorat seminarum tutelam, huiusque Iuris in Germaniam nostram introductio hac quoque ex parte magnam sensim morum patriorum conuerisionem produxit et perturbationem, atque plurimis in prouinciis, superioris praesertim Germaniae, eam prorsus egit in exilium, aliis vero in locis, quamvis adhuc hodie superfit, veluti apud Saxones, Lubecenses, Hamburgenses, in vniuerso fere Belgio, Prussiaque Polona et s. p. non idem tam circa eam omnibus ius est. Alibi namque innuptae tantum in causis forensibus curatoris sui indigent consensu, alibi nuptiae quoque, alibi nuptiae pariter ac innuptae extra iudicium quoque absque curatoris consensu nil valide peragere possunt, nonnullis praeterea in locis feminae negotia tantum inter viuos sine curatore explicare nequeunt, alibi vero, veluti Gedani,¹⁾

¹⁾ Conf. Die Neu-revidirte Willkähr der Stadt Danzig Partt. II. Cap. VI. Art. II. §. 6. adde Ioann. Gottlieb Heineccii Element. Iur. Germanic. loc. cit. §. CCCLXXII.

ne testamenta quidem iure condunt, nisi tutorem curatoremue
adhibuerint et q. s. r.

§. III.

Sed, omisssis aliarum gentium locorumque moribus, in
patriam revertimur nostram, visuri, quid Iura nostra Saxonica
de hac perpetua feminarum tutela, siue potius, cura mu-
lierum, deque curatoribus sexus constituant. Iure vero Saxo-
nico cura muliebris vel *legitima* est, vel *confirmata*. Legitima di-
citur: *die Ebeliche Vormundschafft*, et est facultas administrandi
bona vxoris paraphernalia, et in negotia ab vxore gesta consen-
tiendi, marito per thori coniugalis concessionem quae sita, at-
que ea apud Saxones vsu fori constanti et perpetuo frequentatur,
siue Iura Saxonica spectemus communia,^{o)} siue Electoralia.^{p)}
Ab hac autem legitima differt ista mulierum cura, quae dici-
tur confirmata, quaeque potestas est ab magistratu competente vel
generaliter, eo in loco, in quo domicilium habet, vel bona
sua femina, vel *specialiter*, in loco contractus, vel litis pen-
dantis, data, negotia mulierum, ad validitatem iis conciliandam

^{o)} Ius Prouinc. Sax. Libr. I. Art. 47. adde Ioan. Heinr. de Berger
Oecon. Iur. Libr. I. Tit. IV. §. VII. not. 2.

^{p)} Const. Elect. XV. Part. II. et Decif. XXIV. anni 1661. Mandat von
Verschreibungen und Obligationen derer Weib-Personen vom 18. Nov.
1722. in O. P. S. R. No. XII. derer Beylegen.

dam, approbandi. Haec itaque confirmata mulierum cura administratoria non est, eamque ob causam *simplex personalis*, maritorum vero legitima, quia cum administratione bonorum coniuncta est, *mixta* dicitur. Ceterum quoad hanc confirmatam mulierum curam differunt abs se in iuicem Iura Saxonica communia et Electoralia. Etenim secundum Ius Saxonum commune et in terris lineae Ernestinae mulieres innuptae, siue virgines sint, siue viduae, negotia extrajudicialia omnia sine curatore recte peragunt et valide, atque in negotiis tantum iudicialibus curatore indigent eiusque consensu.¹⁾ Iure vero Saxonico Electorali feminae innuptae, maiores tamen, res quidem mobiles, excepta tamen Gerada, libere et sine curatore dispensant, quoad immobilia vero bona, et in negotiis iudicalibus omnibus eae, siue sint nuptiae, siue non, nil, nisi consentiente curatore, valide peragere possunt, praeter ultimas voluntates, utpote quas maiores feminae libere condunt insciis suis curatoribus, quin, etiam in uitio. Hae sunt Iuris nostri Saxonici de cura muliebri regulae potiores, ab quibus nonnunquam aberrare praxin, quasque proinde variis exceptionibus partim limitare solent pragmatici, partim ampliare, haud equidem ignoro, sed haec omnia, quia hoc non agimus, hoc loco non curo, eoque.

¹⁾ Ioan. Heinr. de Berger Oeon. Iur. loc. cit.

Const. Elect. Saxon. XV. Part. II. Decisi XXIV. anni 1661. et citat. Mandat. vom 18. Nov. 1722. loc. cit.

¶

19

que tutius mitto, quo plenius, quae hoc pertinent, omnia ab
Ioanne Henrico de Berger¹⁾ aliisque Ictis sunt pertractata.

~~curiosi obnoxia da illius causa si vero ni sit evitata puto~~

§. IV.

Curator itaque muliebris, ob sexus imbecillitatem rerumque forensium ignorantiam, consilii potissimum gratia auctoritatisque constituitur hodie, non item, dummodo excipias maritum, vxoris curatorem legitimum, administrationis causa. Quae cum ita sint, eiusmodi curator in causa eius, cui datus est, utrum incorruptum dicere possit testimonium, nec ne? quaeri solet subinde, eoque rectius quaeritur, quo magis in decidenda hac quaestione fluctuant nonnunquam Icti, quoque magis saepiusque causarum patroni, prout clientum, quorum fortunas tueruntur, commodis seruit vtilitatique, eiusmodi testimonium vimque illius vel infringere conantur, vel defendere atque tueri. In hac itaque sententiarum diuersitate scire praestat, quid iura nostra, quid praxis hodierna forensis de eiusmodi curatoris muliebris testimonio constituant, atque utrum ille ab dicendo eo repellatur, utrum ad id admittatur, quin imo, cogatur nonnunquam, et quae sint eius rei rationes? Quoniam vero, qui curator thori legitimus est, idem simul est maritus,

et

¹⁾ in Oecon. Jur. Libr. I. Tit. IV. §. VI. Not. 3-9. item in Elec.
Discept. Forens. Tit. VIII. et alibi passim.

B

et coniuges inter se inuicem testes sunt inhabiles,^{*)} eaque propter eiusmodi legitimus curator non, quia curator, sed quia maritus est, in causa vxoris suae ciuili ab dicendo testimonio repellitur, hinc, quae hoc loco de curatore mulieris, eiusque in causa illius, cui datus est, testimonio deinceps dicturi sumus, ea, inquam, omnia de curatore, non legitimo marito, sed datiuo potius intelligenda sunt et confirmato.

§. V.

Diximus autem ab initio huius libelli, Iura Romano-Iustiniane, quibus hodie tanquam Iure communi utimur in vita ciuili et subsidiario, curam seminarum perpetuam ignorare prorsus. Facili proinde negotio perfisci potest, quaestionem propositam, vtrum scilicet curator mulieris in causa eius, cui datus est, testimonium dicere possit, nec ne? Iura Iustiniane non definitissae, eiusque decisionem directe nulla ex lege Romana eiusue verbis expressis peti posse. Et quamvis ista ante dicta curae species in Germania ab antiquissimis inde temporibus cognita fuit usque quotidiano frequentata, nihil secius tamen istam quaestionem ipsa adeo Iura nostra patria et domestica plene perfecteque non definierunt. Quare iudicis iurisque

consul-

^{*)} Ioann. Heinr. de Berger Oecon, Iur. Libr. IV. Tit. XXIV, §. III. Not. 13. et Ele^{ct}. Discept. Forens. Tit. XXII, Obs. I. Not. 5.

¶

11.

consultorum arbitrio, ut in multis aliis Iuris capitibus, ita hac quoque ex parte multum reliquum est, idque eo rechius, *quā magis, auctore ipso Hadriano Imp.³⁾ is, qui iudicat, scire potest, quanta fides habenda sit testibus.* Ceterum tamen, ne vāgū sit incertumque, sed iustis potius principiis subnixum eiusmodi iurisperitorum arbitrium, ex aequitate quidem, sed nulla ramen alia, nisi ea ex aequitate, quam scriptam habemus in iure constituto, pronunciandum, atque igitur argumentis et domesticarum legum et peregrinarum de testibus, deque qualitate testium et habilitate scriptarum vtendum, quoties de eiusmodi testimonio atque de illius pronunciandum est pondere et auctoritate.

§. VI.

Quae cum ita sint, vix opus est, dici, quod liquet vltro, curatorem mulieris, cum ei, cui datus est, in expediendis negotiis consilio suo et auctoritate adfistere, iisdemque valorem conciliare debeat, fere similem esse pupillorum tutoribus et curatoribus minorum. Cadat itaque, an recto stet talo curatoris in causa eius, cui datus est, mulieris testimonium, exinde haud incongrue dijudicari posse videtur, vtrum tutor in causa pupilli, curator vtrum in causa minoris sui possit dicere testi-

B 2 monium?

³⁾ 1. 3. §. 1. D. de Testibus.

monium? Constat autem Iurisconsultorum fere omnium est sententia, tutores curatoresque in causis pupillorum suorum atque minorum testes esse prohiberi. Ita Matthias Berlichius,²⁾ Benedictus Carpzouius,³⁾ Ludovicus Gunther Martini,⁴⁾ Ioannes Brunnemani,⁵⁾ Lüderus Menkenius,⁶⁾ Quint Septim Florens Rituinus,⁷⁾ Ioannes Henricus de Berger,⁸⁾ ita sentiunt alii, quos tamen nominare omnes et euoluere nec placet, nec vacat. In promptu autem est ratio, quare Iurisconsulti tutores omnes curatoresque ab testimonio in causa pupilli atque minoris dicendo repellunt. *Nullus enim in re propria,* inquit Pomponius,⁹⁾ *idoneus intelligitur testis.* Hinc, quia frustra testimonium petitur, vbi cum ratione metui potest, ne

a natu-

²⁾ Deciss. 266. num. 9. et 10.

³⁾ Respons. Libr. III. Tit. IX. Resp. XCI. not. 1. item Process. Iur. Saxon. Tit. XIII. Art. V. §. VI. et Def. Forens. Part. I. Const. 16. Defin. 37.

⁴⁾ Comment. ad Ordin. Process. Saxon. Tit. XX. §. II. num. 238 seqq.

⁵⁾ Process. Ciuil. Cap. XX. num. 3.

⁶⁾ Synops. Theor. et Prax. Pandect. Libr. XXII. Tit. V. §. X.

⁷⁾ Enunciat. Iur. Tit. XXII. Enunc. XXII.

⁸⁾ Oecon. Iur. Libr. IV. Tit. XXIV. §. III. not. 3. item Elect. Discept. Forens. Tit. XXII. Obs. I. not. 1.

⁹⁾ l. 10. D. de Testibus.

a natura, sui studiosa, corruptatur, Iura nostra &) omnibus
 in re propria dicendi testimonii facultatem submouerunt.
 Tutores autem curatoresque, in causa pupilli atque minoris re-
 stimonium dicentes, esse testes in propria causa, quis est, qui
 dubitat? Ea enim causa propria dicitur causa, cuius emolu-
 mentum vel damnum, qualemque illud etiam sit, vel in to-
 tum, vel pro parte, etiam futuro demum tempore et per con-
 sequentiam ad aliquem pertinet, nec est, qui nesciat, domina,
 ex negotiis ab pupillis et minoribus, auctore tute ore et consen-
 tiente curatore gestis, redundantia, ultimo in tutores redundare
 et curatores pupillorum minorumque omnia, ideoque causas
 ipsiusmet tutoris vel cursoris proprias esse videri, atque lites
 pupillares ipsorum tutorum periculo expediri.

S. VII.

Sed, age, nunc videamus, et in dicendi disceptationem
 controuersiamque vocemus, utrum ea, quae de tutoris curato-
 risque in causa pupilli et minoris testimonio dicta sunt, ad cu-
 ratorem sexus illiusque in causa eius, cui datus est, mulieris
 testimonium traduci possint et applicari omnia? In quo non
 deesse, fateor, viros summos, rerumque forensium exercitatis-
 simos, qui, quoniam tutores in causis pupillorum suorum testes
 esse nequeunt, non modo probabili argumentatione, sed necef-

B 3

faria

t) I. 10. C. de Testib.

faria potius ratione cocludunt, curatorem mulieris in causa eius, cui datus est, ab dicendo testimonio esse repellendum. Ita enim Benedictus Carpzonius existimat,^{b)} atque hanc suam sententiam his corroborare rationibus annititur, scilicet, certum est, inquit,ⁱ⁾ *testificationem curatoris in causa suae curandae, in qua ipse actoris vices gerit, et causam quasi propriam agit, facile ipsius curatoris commodo vel incommmodo cedere posse, quae sola ratio sufficiens est, ut a testimonio repellatur.* Subiungit praeterea duas rationes alias; dum pergit, neminem fugere potest affectio curatoris erga suam currandam, quae sola etiam obstat, quo minus quis testis habetur idoneus, omniisque exceptione maior. Addimus porro et hanc rationem, quod curator, ratione officii suaequa promissionis, obstrictus sit, negotia suae curandae aliaque, unde incommodum ipsis accedere posset, reticere, nec ulli propalarre, at fieri non potest, ut testificando, sub iuramento scientiae praefrito, contra hoc non faciat suaequa curandae arca na propalet, ut nemo tam rigorosus Cato praesumeundus, qui curatorem ad depositionem testimonii compellendum existimat.

^{b)} Respons. Libr. III. Tit. IX. Resp. XCI. item Process. Iur. Saxon. Tit. XIII. Art. V. §. VI. num. 34. sqq. et Definit. Forens. Pat. I. Conf. 16. Def. 57.

ⁱ⁾ Respons. loc. cit. num. 5. sqq. sqq.

met. Ceterum ipse tamen Carpzouius huic suae sententiae limitationem subiungit, *assque euratorem mulieris, quando ei* alias ad certam litem specialiter datus est curator, *qui vel ipse* mer, *vel per actorem eam agitauerit, ab testimonio in hac causa* non tantum non repellendum, sed prius ad dicendum testimonium cogendum esse, contendit, addita hac ratione, *quia ex* gestis, *aut propalatione alterius curatoris, testis curator ullum metuere non habet periculum.* Tandem huic suae de quaestione proposita institutae disputationi hanc addit clausulam generalem, quam reticere minime debemus, scilicet; *Quin,* et facilius curatorem mulieris in causa curandae ad testificationem admitti, quam tutores aut curatores in causis pupillorum et minorennum, vel inde patescit, quod hi habeantur loco dominorum, ac proinde in facto proprio et ad sui vtilitatem testificari censeantur, quodque sint in periculo et damno, nec non ex testimonio, contra pupilos et minores dicto, aliquando actione tuelae conueniri possint, quae rationes omnes in curatoribus mulierum cessant. Ratione igitur periculi cessante, facilius utique cessabit etiam prohibitio testimonii faciendi. Haec itaque Benedicti Carpzouii de quaestione proposita est sententia, quam iisdem, quibus ipse usus est, hoc loco transcribere, quam meis exponere malui verbis. Quoniam vero beatus Carpzotius tantam nominis famam,

Rer. Pol. CCXI. sec. Cunctorum genit.

tan-

tantamque in Iure nostro consecutus est auctoritatem, ut, adhuc
vix, Pater Præcticae et Saxonie Papinianus vocaretur, qui
fuerit factum, ut in eandem fere sententiam hanc loquantur
celeberrimi et superioris aetatis et recentioris Iurisconsulti ple-
rique omnes, viri quisque facile perspicere potest. Sic, exem-
pli causa, Ludovicus Günther Martini¹⁾ non eahdem tantum
tuetur sententiam, sed etiam in defendenda ea iisdem fere vi-
tut rationibus, quibus olim usus est Carpzouius. Praeterea
Quintus Septimius Florens Riuinus¹⁾ curatorem non, nisi finita
cura, ut testem admittit, quin imo, ut alios taceant omnes,
nuperrime quoque Illustris Iurisconsultorum Lipsiensium Ordinarii,
Carolus Ferdinandus Hommelius²⁾ eadem hanc am-
plexus est sententiam, dum, *Curator sexus*, inquit, durante
curatela in rebus, quibus ipse curator interfuit, testis est in
propria causa, adeoque plane repelleridus. Sed et posita
curatela inhabilis est in causis, quibus tanquam curator in-
teruenit. In aliis autem rebus curandae sua etiam duran-
te curatela admittitur, neque tamen omni est exceptione
maior, et q. l. r. Si quis tamen in causa, ubi nullum consi-

¹⁾ in Comment. ad Ord. Process. Sax. Tit. XX. §. II. num. 239.
sqq. sqq.

²⁾ Enunciat. Iur. Tit. XXII. Enunciat. XXIII.
³⁾ Rhapsod. Obs. CCXI. voc. Curator Sexus.

lium curator dedit, eum omni exceptione maiorem iudicauerit, ei regula prima et octava antecedentis obseruationis CCX. excusationem praebuerit.

§. VIII.

Enimuero vtrum his extrinsecus ab pupillorum tutoribus et curatoribus minorum assumtis auxiliis haec Benedicti Carpzouii de curatoris sexus in causa eius, cui datus est, mulieris testimonio sententia tueri possit? id equidem, si dicendum, quod res est, vehementer dubito. Tutores curatoresque in causis pupillorum et minorum suorum, tanquam testes in propria causa, ab dicendo testimonio recte repelluntur. Sed, quamvis Carpzouius, et, qui cum Carpzouio faciunt, hoc ab tutoribus et minorum curatoribus ad corroborandam suam sententiam ductum argumentum etiam atque etiam premunt, tamen hos inter et perpetuos seminarum curatores tanta et tam magna vbiique deprehenditur differentia, vt ab illis ad hos, ab illorum, in causis pupillorum suorum et minorum, ad horum, in causis curandarum suarum, testimonium vix probabili argumentatione concludere possimus. Tutores enim et curatores minorum quod attinet, inter omnes constat, eos esse rerum pupillarium administratores. In hanc autem eorum administrationem veniunt actiones, solutiones, erogationes, alienationes

C

tiones

tiones, et habetur hac ex parte tutor loco domini, adeo, vt, quamvis alias Iure ciuili nemini liceat alieno nomine experiri, tamen tutorio liceat nomine id, quod pupillo debetur, petere, neque opus sit cautione, pupillum ratam rem habiturum.²⁾ Ceterum tamen tutor tantum loco domini, non ipse rerum pupillarium dominus est. Hinc antequam ipsam tutelae administrationem suscipere potest, rerum pupillarium confidere tenetur inuentarium, quo constet earum rerum quantitas, deinde admodum restricta est illius potestas, adeo, vt in solutionibus³⁾ et alienationibus⁴⁾ sine decreto magistratus nihil facile peragere possit. Quin imo, si quid praefera egerit tutor, quod magis ad perditionem, quam ad administrationem accedar, v. g. si quid gratis remiserit, donarit, id omne pupillo non nocet.⁵⁾ Quare, vt eo certius constet, qua ratione et quo modo gesserit tutelam, finita ea, rationes reddere debet, atque, si quid vel commiserit, vel omiserit, quod sit officio tutelae contrarium, et in quo arguatur eius dolus vel culpa lata et leuis, iudicio tutelae tenetur.⁶⁾ Haec omnia qui

²⁾ l. 22. et 23. D. de Administrat. et Pericul. Tutor. et Curat.

³⁾ l. 25. et 27. C. de Administrat. Tutor. vel Curator.

⁴⁾ l. 1. pr. et §. 2. D. de Reb. eor. qui sub tutel. sunt, sine decreto non alienand.

⁵⁾ l. 22. D. de Administrat. et Pericul. Tutor. et Curator.

⁶⁾ l. 1. pr. D. de Tutel. et rationib. distrahend.

diligenter perpendit, ille facile perspicere potest, eiusmodi tutores curatoresque in causis pupillorum et minorum suorum incorruptum testimonium dicere vix posse, eosque potius, tanquam testes in propria causa, esse repellendos. Ast, quae haec tenus dicta sunt, ea omnia in curatorem sexus non quadrant. Curator mulieris tantum instar consiliarii est,¹⁾ eiusque officium non consistit in rebus curandae suae administrandis, sed in interponenda saltim auctoritate sive consensu, propterea ne quidem officii nomine conueniri potest, neque enim mulierem repraesentat, sed ei, principaliter gerenti, saltim adficit, adeoque ab tutoribus et curatoribus ceteris hac ex parte quam maxime differt.²⁾ Quoniam Carpzouius tamen in adstruenda sua sententia non hac ratione vnica usus est et sola, sed ei potius duas subiunxit alias, age, quae et quanta iis insit vis, videamus, sed paucis. Acriter autem partim affectionem curatoris erga curandam suam vrget, partim, quod curator ratione officii suaequem promissionis obstrictus sit, negotia suae curandae aliaque, vnde incommodum ipsi accedere potest, reticere. Sed affectionem curatoris erga curandam suam amicitiamque, inter hanc et illum intercedentem, quod atti-

C 2

net,

¹⁾ Ioan. Heinr. de Berger Oeon. Iur. Libr. I. Tit. IV. §. VI. not. 8.

²⁾ Gottlieb Gerhard. Titius Iur. priuat. Libr. VI. Cap. XIX. §. 9. et §. 11.

net, rarius hodie eas aequa, ac inimicitias, nisi haec sint capitales, in foro attendi; Augustinus a Leyser²⁾ leuemque inimicitiae et amicitiae gradum testem saltim facere non omni exceptione maiorem, Ioannes Henricus de Berger³⁾ probarunt. Praeterea obstrictus quidem curator sexus est, negotia curandae suae aliaeque, vnde ipsi incommodum accedere potest, reticere, sed ex altera quoque parte ipsa adeo utilitas publica vult, ne veritas occulteretur, quam liquere, interest vel maxime societati humanae. Hinc Iura quoque nostra⁴⁾ eos, qui non prohibentur, non modo si testes esse volunt, ad dicendum testimonium admittunt, sed etiam, si nolunt, cogendos esse, constituunt. Tandem ipse adeo Carpzouius his rationibus non tam, vt ab dicens in causa curandae suae testimonio plane repellatur curator sexus, quam potius, vt ne habeatur pro teste omni exceptione maiore, efficere voluit, quare, cum hac ex parte sine omni dubio dixerit Carpzouius, quod res est, vix opus esse videtur, his illius rationibus earumque examini diutius inhaerere.

§. IX.

Expositis itaque et, quantum hoc loco fieri potuit, in dicendi disceptationem controuersiamque vocatis argumentis plenarie risque

²⁾ Meditat. ad Pand. Specim. 283. Meditat. 24. et 25.

³⁾ Oecon. Iur. Libr. IV. Tit. XXIV. §. III. not. 16.

⁴⁾ l. 16. pr. et §. 1. C. de Testibus.

risque omnibus, quibus Benedictus Carpzouius curatores mulieris in causa eius, cui datus est, ab dicendo testimonio, tanquam testes in propria causa, repellere eosque inhabiles reddere conatur, percipe porro, quid dubitem, et quae tandem ea de re animo meo surgat sententia. Quoniam vero, qualitatem testimoniū habilitatemque quod attinet, alii eorum plane inhabiles et, ut ita dicam, inadmissibiles sunt, alii vero non omni exceptione maiores, alii denique ad dicendum testimonium non coguntur,²⁾ ex his hactenus dictis sine dubio facile est ad intelligendum, curatorem sextus, quem inter atque curandam curatela ei data amicitiam conciliauit, et vtriusque voluntates quasi coniunxit, quin, quandam veluti necessitudinem effecit; praeterea vero constitudo familiaritatem attulit, in causa eius, cui datus est, testem esse non omni exceptione maiorem. Sed non omnes testes, qui ex hac vel illa causa testes sunt non omni exceptione maiores, protinus testes sunt plane inhabiles et ab dicendo testimonio repellendi prorsus. Itaque, virum curator mulieris ad dicendum testimonium admittendus sit, nec ne? quaeritur, et eo rectius quaeritur, quia iudex, quando testis prorsus est inhabilis, ipsa adeo illius citatione supersedere potest.³⁾ In quo, quid Carpzouius sentiat, qua distinctione sit usus, et quam dubitanter quaestionem propositam composuerit, dixi iamiam an-

C 3

teced.

²⁾ Ioan. Heinr. de Berger Elect. Discept. Forens. Tit. XXII. Obs. I. item, Qeon. Iur. Libr. IV. Tit. XXIV. §. 1.

³⁾ O. P. S. R. ad Tit. XXII. §. 1.

teced. §. VII. Sed rectius, si quid video, et ad veritatem accommodatius Mathias iam olim Berlichius^{b)} atque Ioannes Heinricus de Berger^{c)} contrarium statuerunt et curatorem mulieris ad dicendum in causa curandae suae testimonium admittendum esse, edixerunt, idque sine discrimine, siue durante adhuc curatela dicendum sit testimonium hoc, siue finita ea, siue ipse, tanquam curator, causae interfuerit, siue non, siue procuranda, siue contra eam, siue alius curandae ad item datus sit curator, siue non, sine discrimine semper curator sexus ad dicendum testimonium admittendus, nec admittendus tantum, sed, si nolit, cogendus quoque est, tanquam testis habilis, quamvis non omni exceptione maior. Nec desunt rationes et argumenta, quibus haec Berlichii atque Bergeri doctrina adstrui potest et confirmari. Nam, quae tutores pupillorum et curatores minorum in causis eorum, tanquam testes inhabiles, abdicendo testimonio repellunt rationes, eae rationes in unum omnes ad mulierum curatores applicari nequeunt, et extendi, prouti suo loco dictum est. Curatores sexus bona curandae suae non administrant, ideoque nullas administrationis rationes reddere debent, et iudicio tutelae non tenentur. Curatores mulierum in causis curandae suae dominorum loco non habentur, propterea causa curandae curatoris non potest dici

^{a)} Dscpt. CCLXVI. no. 13--26.

^{b)} Elect. Discpt. Forens. Tit. XXII. Obs. I. not. 1. item, Oeconom. Iur. Libr. IV. Tit. XXIV. §. III. not. 7.

dici propria causa, neque curator commodum exinde vel in-
 commodum ullum habet, atque igitur, quando in causa
 curandae testimonium dicit, testis in propria causa dici
 nequit. Hinc corruit prorsus ea ratio, ob quam potissimum
 curatores sexus ab dicendo testimonio, tanquam testes inhabi-
 les repellit Carpzouius. Cessante vero hac ratione, quid tan-
 dem obstat, curatores sexus cur non sint habiles testes, quamuis
 non omni exceptione maiores? Etenim, Iura nostra eos ab di-
 cendo testimonio non repellunt, non Romano-Iustinianea et Ca-
 nonica, utpote quibus curatores seminarum perpetui ignoran-
 tur prorsus, non Saxonica, nullibi enim in vniuerso Iure Saxonico
 reperitur, quod talis curator mulieris testis esse non possit.
 Quin, Iura nostra hac ex parte non tantum non obstant, sed e-
 contrario recte potius beneque obseruauit Illust. Carolus Ferdi-
 nandus Hommelius ⁴⁾. *Vituperandas esse leges, quae homines*
intestabiles faciunt. Nec enim delinquentes hac poena, sed
innoxii plectuntur borum testimonio usuri. Quodsi vero vitu-
 perandae sunt *leges, quae homines intestabiles faciunt, quae tan-*
dem nota censoria imponenda est istis, quibus homines ab di-
cendo testimonio repelluntur, Iurisconsultorum opinionibus?
 Accedit praeterea alia eiusdem Viri summi regula, ad quam cu-
 ratoris in causa curandae suae testimonium tanquam adminiculum
 admittitur et fulcrum. Etenim; *Cum interrogatorij propositis*
mendacia testimoniū facile patescant, inquit Vir ille doctissimus, ⁵⁾

⁴⁾ Rhapsod. Obseruat. CCX. Regula 5. ⁵⁾ loc. cit. Regul. 8. ^{bodie}

24

hodie non tanta circumspectione opus est, quam olim. Vnde, cum reipublicae interfit, verum detegi, tutius est, admittere, quam repellere testem, ac in dubio plenae potius, quam suspectae fidei habere, ne facultas probandi nimium restringatur, neue omnes lites se in suppletorio finiant. Pauci hodie tam improbi, ut plane immemores esse videantur aeternae salutis, plus enim fere nostram animam, quam amicum, aut consanguineum diligimus et q. s. r. Sunt itaque curatores mulierum, non quidem omni exceptione maiores, ast habiles tamen testes, et ad dicendum in causa curandae suae testimonium non admittendi tantum, sed cogendi quoque, idque ideo, quia ad dicendum illud cogi, nulla lege, nulla congrua ratione legis prohibentur.^{f)} Quae cum ita sint, curator sexus ab iis, qui ius dicunt, non tantum olim saepe numero ad dicendum testimonium admissus est,^{g)} sed nuper quoque, cum acriter discrepareret inter litigantes, vtrum curator mulieris, quae in ius vocata erat, in hac suae curandae causa ad dicendum testimonium admitti possit et cogi, atque ipse curator hoc testimonium abs se, quantum poterat, assidue deprecaretur, ex his potissimum hucusque adductis rationibus ab Ordine nostro pronuntiatum est: Daß Klaegers erster Zeuge, des von ihm beschriebenen Einwendens obngeachtet, das erforderete Zeugniß abzustatten schuldig. V. R. W.

^{f)} I. 16. I. 19. C. de Testibus.


^{g)} Berlichius Decif. CCLXVI. no. 35. Capzouius Respons. Libr. III. Tit. IX. Resp. XCI. no. 16. et 17. Riuiinus Enunciat. Iur. Tit. XXII. Enunc. XXII.

ULB Halle

005 361 745

3







DISSERTATIO IVRIDICA

D E

CVRATORE MVLIERIS

VTRVM IN CAVSA EIVS CVI DATVS EST

TESTIMONIVM DICERE POSSIT?

P R A E S I D E

MARTINO GOTTLIEB PAVLI D

DIGEST. VETER. PROF. PVBL. ORD. CVR. PROVINC
CONSIST. ECCLES. SCABIN. ET FAC. IVRID. ASSESS

DIE MENS. MAII A. R. S. C I C I O C C L X V I I

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A B

IOANNE GVILIELMO BLOCHMANN

L. L. C. L A V B. L V S A T

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACADEMIÆ A TYPIS